

Πρότερον μηδεποτέ  
OMNIPOTENTI DOMINO  
LIBERATORI, PERRVPTORI,  
VINDICI, TRIVMPHATORI  
NOSTRO

# S A C R V M

Ob lætam, & gloriosam Re-

surrectionem, qua ruptis potenter mortis vinculis in æternæ gloriæ, & exaltationis statum cœlestis ille Simson translocatus est

*Ex debito bonore publicatum.*

RECTORE & SENATV ACADEMIE REGIOMONTANÆ

ANNO DOMINICO

CID ID CXXXVI.

*Absorpta est mors in victoriam.*



Typis LAVRENTII SEGE.  
BADII.

182

2025/1

264042



Ignē, Fātres Chārissimī, pījs studijs  
 exultemus in Chriſto sub p̄asenti ſo-  
 lēnnitate, in qua nobis inferorum  
 Dominus dīves ſpolijs redditus eſt, in  
 quā rediſt celſitudo de profundis, lux de tenebris,  
 vita de mortuis. Ecce quantum proſalutē oviū  
 pēdiſarum benigna pīj Paſtoris ſollicitudo diſcurrit.  
 Sub uno eodemq; tempore & hominem uſq; ad Pa-  
 radysum revoſare dignatur, & mortem uſq; ad  
 inferna perſequitur, glorioſius capiū vandaſ in re-  
 gno ſuo, & magnificenter in ſuis ſedibus trium-  
 phandam. Ad deſcenſum itaq; cœleſtis Domini  
 profundum inferi pauditur, peregrinum ſibi lam en  
 inferni nox & eterna miratur. Expatiavit ergo nox ſu-  
 bito non ſuum mortuum, imo ex pati mortem ſuam  
 Aderat enim ille, qui dudum per Prophētam ſuum  
 dixerat: O mors, ero mors tua, ero morſus tuus o  
 inferne Os. 13. Poterat quidem Dominus noſter  
 hōstem humani generis ſola Majeſtate proſterne-  
 re, ſine incarnationis humilitate, ſine certamine  
 paſſionis. Sed homo, qui proprio transgressioniſ  
 criminē tenebatur obnoxius, qui per culpam ſuam  
 incurrerat in ſervitūrem, non violentiā liberan-  
 dus fuit, ſed miſericordia redimendus.

Hæc

 ACUÉ UTM. AV. 1942  
 JMAS

Hæc verba sub Exordium præsentis intimatio-  
nis ex Augustino , sermone 156. deprompta , nostra fa-  
cere placuit , cum eandem per divinam gratiam solen-  
nitatem celebremus , quam Episcopus ille Hipponen-  
sis , magnum illud Ecclesiæ lumen in productis verbis  
intimavit. Lætetur Cœlum , exultet terra , vos filij  
mortis ~~enim~~ canite : Absorpta est mors in victoriā.  
Noster Goel sive vindex & Perruptor ruptis in sua mor-  
te & sepulchro mortis vinculis ad vitam , ad gloriam ,  
ad æternam beatitatem gloriösè resurrexit. Fuit mor-  
tuus & ecce vivit in secula seculorum , & habet claves  
inferni & mortis Ap. I, 18. vicit Leo de tribu Juda, radix  
David c. 5, 5. Christus suscitatus ex mortuis , non am-  
plius moritur , mors ei non amplius dominabitur.  
Rom 6, 9. Amovit faciem veli obvelantis omnes po-  
pulos , & operimenti operientis omnes gentes. Ab-  
sorbuit mortem in victoriā ; Abstulit Dominus la-  
chrymas ab omnibus faciebus , & opprobrium populi ,  
amovit ab omni terra Esa, 25, 7. 8. 1. Cor. 15, 54. Apoc. 7,  
17. c. 21, 4. De Potestate inferni liberavit nos , de mor-  
te redemit vel vindicavit nos Os: 13, 14. destruxit mor-  
tem , contra in lucem produxit vitam & incorruptibi-  
litatem 2. Tim. 1, 10. Ut vi Dominicæ Resurrectionis  
& nos resurgere possimus. Factus est enim Servator  
noster ἐπαρχη τῶν κεκομένων I. Cor: 15, 20. ἀρώτος εξα-  
ράσθεως νεκρῶν Act. 26, 23. non tam ratione ordinis  
quam causæ. Apostolus enim in Cap: 15. prioris ad  
Corinthios Dominicam Resurrectionem non ut exem-  
plum producit Resurrectionis mortuorum , verum ut  
causam. Singulare namq; sub respectu causalitatis vim  
habet universalitatis. Ita sol universalis causa est o-  
mnium & singulorum dierum. Hunc Apostolicum

processum non modò firmant nominatæ voces à προ-  
χή, πρώτος, verum & oppositio inter Adamum in pec-  
cati statu constitutum, & Christum ex mortuis redivi-  
vum. Per unum hominem mors, in Adamo omnes  
moriuntur I. Cor. 15. v. 21, 22, radicaliter & causaliter.  
Per unum enim hominem ( originalem scilicet in cu-  
jus lumbis humanum genus causaliter latitabat ) pec-  
catum in mundum introiit & per peccatum mors Rom.  
5, 12. Pari modo se habet alter Adam respectu suæ Re-  
surrectionis. Id ipsum quod cecidit in morte, quod iacuit in  
sepulchro, hoc & resurrexit, non tam Christus in carne,  
quād caro in Christo ut scitè Tertullianus loquitur in li-  
bro de Resurrectione carnis. Fiducia vero Christianorum,  
Resurrectio mortuorum: illa credentes sumus, hoc veritas  
credere cogit; Christo servabatur, omnia retro occulta nu-  
dare, dubitata dirigere, prælibata supplere, prædicata re-  
presentare: mortuorum certe Resurrectionem non modò per  
se ipsum, verum etiam in semetipso probare, inquit idem  
ille citato loco. Nemo ergo de Resurrectione desperet, in qua  
Christianorum spes tota consistit, ut Augustinus loquitur  
sermone 34. de verbis Apostoli. Credimus, hujus corpo-  
ris futuram Resurrectionem, quæ in ipso D E O jam præcessit.  
Mortuum Christum & pagani credunt: resurrexisse autem  
Christum propria fides est Christianorum lib. 16. Contra  
Faustum Manichæum c. 29. In Christo ita resurrecturum  
jam timeas moriturum, Enarratione in Psal. 129.  
( in Hebr. 130.)

Verum cum de hoc, & alijs fructibus Dominicæ  
Resurrectionis fusiores in Ecclesiasticis præsentis festi-  
vitatis Conventibus homiliæ instituentur ad attentam  
& devotam earundem audientiam omnes & singulos  
literariæ nostræ Reipub. Cives serio hortamur.

Nos

Nos pro more hactenus recepto paucula propo-  
nemus de CAUSA EFFICIENTE Dominicæ Resur-  
rectionis, in specie contra Photinianos, probaturi,  
eternum DEI Filium ut Perruptorem propriâ vi à mortuis  
resurrexisse.

In diligente sacrarum literarum investigatione  
reperiemus Sanctum DEI Spiritum per Evangelistas &  
Apostolos Dominicam Resurrectionem adscribere i.  
DEO στιωδωσ considerato. DEV S JESUM Nazarenum  
suscitavit solus doloribus vel vinculis mortis Act. 2, 24.  
Videantur & alia loca Act. 10, 40. C. 13. v. 30, 37. Rom:  
10, 9. 2. Cor: 13, 4. Col: 2, 2. Hebr. 13, 20. Cum enim  
Dominicæ Resurrectionis actus externus sit; & verò  
opera Trinitatis ad extra Sacrosanctæ Trinitati sint  
communia & indivisa, secundum consuetam Ecclesiæ  
regulam, omnino Spiritus veritatis ipsi DEO στιωδωσ  
tali hoc opus adscripsit 2. ιππωρεπηνωσ D E O Patri Rom.  
4, 24. Rom. 6, 4. Suscitatus est Christus ex mortuis  
διὰ τῆς δόξης τοῦ πατέρος Gal: 1, v. 1. Opus autem fuit & Pa-  
tris Potentia ad actum Dominicæ Resurrectionis, ob  
causam partim internam, ex ἐμογοίᾳ fluentem. Pater  
enim & Filius σοια unum sunt Joh. 10, 30. cum unicam  
manum habeant, id est, potentiam v. 28, 29. partim  
externam. Voluit enim DEV S Pater in Resurrectione  
sui Filii ut evidentissimo & certissimo signo testari, se  
sacrificio mortis Filii sui perfectissimè placatum esse.  
Utenim DEV S Pater Filium pro mundo in mortem de-  
dit Joh. 3, 16. Ita eundem perfectè peracto Redemptio-  
nis opere in morte relinquere nec potuit nec voluit, ut  
undiquaq; DEI Patris gloria tum veritatis tum Justiciæ  
tum misericordiæ æterniq; decreti toti mundo con-  
staret. 3. ιππωρεπηνωσ D E O Filio, idq; partim ratione

humanitatis quæ & ipsa ad resurrectionem sui concupit, actu non naturali, sed personali. Licet enim realis separatio corporis ab anima in morte Christi facta fuerit ratione naturalis actus, vinculum tamen personale & divina vivifica virtus ratione personalis praesentia & actus à Dominico corpore non fuit separata. Fuit enim hæc vita occulte latitans & ratione exertionis quasi quiescens, ἡνεκάλω ut cum Irenæo loquamur lib. 3. c. 21, citante Theodoreto dialogo 3. Partim ratione divinitatis. Propria namq; Deitatis virtute se ipsum resuscitavit Dominus. Id cum hodierni Photiniani impie & blasphemè negent, divinæ veritatis amatoribus scripturæ loca exhibemus, ex quibus orthodoxa nostra assertio validè contra Photinianam impietatem roboratur. Primus locus habetur Joh: 10, v. 17. 18. in Apologeticâ Christi ad Pharisæos concione; Propterea me dedit Pater quia ego depono (τίγνιμ) animam meam ut cam rufus assumam. Nemo solit (λαζει) eam à me, sed Ego depono eam àω̄ εξουτά per me ipsum (sponte meā) Εξοικαί εχω διτινό, καὶ εξοικαί εχω πόλιν λαβεῖν αὐτην. Hoc præceptum vel mandatum accepi à Patre meo. Verba ipsa meridiani solis luce clariora. Quicunq; à seipso, vel, per seipsum diuinam potestatem habet vitam per mortem deponendi, & eandem iterum assumendi, is se ipsum mediante hac potestate ex morte resuscitare potest. Servator noster à se ipso, vel perse ipsum diuinam potestatem habet vitam per mortem, deponendi & eandem iterū assumendi Ergo. Consecutio- nis ratio in Propositione ex fonte fluit causalitatis. Hæc enim, εξοικαί & deponendi vitam per mortem & eam iterum per επαγγελινην assumendi causa fuit subsecuturæ suæ Resurrectionis, ob illam ipsam quam in se habuit εξοικαί diuinamq; virtutem. Assumtum est in citatis verbis,

verbis. Cum magno pondere dictum est ego, quia ego pono.  
inquit animam meam. Ego pono. Quid est ego pono? Ego  
illam pono. Non glorientur Judai, servire potuerunt, po-  
statem habere non potuerunt. Serviant quantum possunt, si  
ego noluero animam meam ponere, quid serviendo facturi  
sunt? Una response prostrati sunt, Quando eis dictum est  
Quem queritis? Joh: 18, 6. Ego, ego inquam pono animam  
meam, ut iterum sum am eam. Verba sunt B. Augustini  
Tractatu 47. in Johannem super hæc ipsa Johannea  
verba, ubi & verba Psalmi subnectit: Ego dormivi &  
somnum cepi & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me  
Psal. 3, 6. Quomodo hunc Dominicorum verborum  
solem Photiniani obscurent suo loco & tempore mo-  
nebitur.

Secundus locus est Joh: 2, 19. Destruite templum hoc,  
& intra triduum excitabo vel erigam illud. Verba sunt no-  
stri Sospitatoris, habita ad Judæos in templo Hierosol-  
ymitanō, in quo Servator ementes & vendentes, tem-  
pliq; profanatores, exdivino, quo servebat Zelo ejec-  
rat, Secundum Prophetæ vaticinium Psal: 69, 10. Zelus  
tua domus exedit me. Judæi ex Jure judiciali statu contra  
Christum insurgentes, eundem tacitè insimulant, re-  
formatorium suum in templo factum minus esse legi-  
timum, quia vel privata autoritate patratum, vel ali-  
quo miraculo signo hoc confirmandum fuerat, pro-  
pterea dicunt: Quod signum ostendis nobis quod ista facis?  
v. 18. (viderant signa à Christo patrata: v. 23.) Servator  
per viam depulsionis inq; modum non præcepti, sed  
Vaticinij futurum Judæis signū ex suâ tum intentione,  
ipsi tum fortè ignaris, pro divina quâ pollebat sapien-  
tiâ & omniscientiâ hoc singulare proponit: Destruite  
(Enallage Temporis) destruetis templum hoc. Loqueba-  
tur

tur verò Sapientia Patris, cum in terreno Hierosolymitano templo versabatur, de templo sui corporis Joh. 2, v. 21, non de terreno Hierosolymitani templi ædificio. Corpus ergo suum occasionaliter vocavit *Templum*, quippe in quo non tantum omnis plenitudo divinitatis habitabat corporaliter Col: 2,9. Sed et in ipso verum erat propitiatorium, siquidem de ipso Cœlestis Pater dixerat: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est*, Esa: 42, 1. Math: 3, 17. C: 17, 5. Hoc spirituale sui corporis templum Servator promittit, se intra triduum iterum erecturum ingenita scilicet potentiam. Hinc ovalem:

*Quicunq; spirituale sui templi Corpus ab alijs (per) mortem destructum, sua vi vaticinatur per Resurrectionem erigendum, is propriâ virtute à morte resurgit.* Hæc Propositio suâ luce radiat. Assumptio in manifestis Christi verbis continetur, stabit ergo conclusioni, imò Christianæ fidei sua firmitas. *Resuscitatus & exaltatus est Dominus. Resuscitavit eum à mortuis. Quis? Pater. Non & SE IPSE?* Quid autē facit Pater sine verbo? *Quid facit Pater sine unico Filio suo?* Audi quid Filius dicat: *Solvite templum hoc & tribus diebus excitabo illud.* Numquid dixit: *Solvite templum, quod eriduo Pater meus resuscitat?* Sed quomodo cum Pater suscitat & Filius suscitat; sic cum Filius suscitat & Pater suscitat, quia Filius dixit: *Ego & Pater unus sumus* Joh. 10, 30. verba iterum sunt Aug: tractatu, 20. in Johannem.

Tertius locus cōtinetur Joh: 5.v.19.20.21. Amen. Amen dico vobis, non potest Filius à semetipso operari, nisi viderit Patrem operantem. *Quicunq; enim ille facit tuūta,* Hæc Eadem & Filius facit, & quidem opūtior. Pater enim amat Filium & omnia ostendit ei quæ ipse facit: *Sicut Pater suscitat mortuos*

mortuos, & vivificat, ita & Filius quos vult vivificat v. 20.  
Sicut Pater vitam habet ex eis ita dedit Filio habere vitam  
ex eis. Verba potentissima, quae εμοσιαν Patris cum  
Filio probant, & consequenter Essentialē Actionis  
unitatem circa Resurrectionis opus, 1. Tantam sibi cum  
Patre conjunctionem intercedere Christus ait, ut nihil  
quicquam facere possit a SE I P s o nisi id & Patrem vi-  
deat facientem. Nihil Filius absq; Patre potest non ob  
aliquam ἀδύνατην, sed arctissimam potius Filij cum  
Patre conjunctionem, & perfectissimam exequatio-  
nem, quā sit ut Filius non modō Patri in una eademq;  
actione cooperetur, verum & ita cooperetur, ut Filius  
non possit divisum aut diversum quid a Patre operari  
ob simplicissimam unitatem, quae non alia nisi essen-  
tialis esse potest, 2. Ne quis existimet, Filiū in suis ope-  
ribus Patrem ut Exemplar sibi proposuisse, quod imi-  
tetur; aut decreto DEI & ordinatione fieri, ut Filius a  
natura Patris diversus, divina tam en nihilominus ope-  
ra faciat: Servator vehementi verborum εμφάσει utitur,  
quae omnem imitationem, & quae sunt hujus generis  
alia penitus excludunt. Quæcunq; inquiens, Pater fa-  
cit μὲν Η Α C E A D E M, non alia sed F A I P S A Filius facit  
& quidē ομοίως Quod genus μοιότητης ομοσιαν importat.  
Non enim res a Patre factas alijs a se factis exprimit Fi-  
lius, sed in unā eademq; actione par est δύναται & conse-  
quenter ομοσια. Miseros ergo Photinianos! qui largiun-  
tur Patrem Filiū a morte suscitasse, negant vero idem  
fecisse & Filiū. Sin hoc, Ergo nec Pater Filiū suscitavit.  
Blasphemè. Orthodoxè ergo mediante αποδειξητική πρεύ-  
μαν ex Dominicis verbis ita colligimus: si Pater Filiū a  
mortuis resuscitavit, utiq; & Filius se ipsu m, ob Essen-  
tialē Unitatem, & vitæ & potentia & Operationis.

B

Atqui

Atqui Pater Filium à morte suscitavit, ipsis Photinianis  
facentibus. Concedant ergo necessum est & conclusio-  
nem, Filium idem fecisse, ob Essentialem VITÆ iden-  
titatem Patri Filioq; communem. Unde consequitur,  
ALIAM VITAM præter merè humanam in nostro  
Servatore fuisse & esse. Non facit Pater ALIA, Filius SIMI-  
LIA, sed EADEM SIMILITER. Non enim ait: Quaecunq;  
facit Pater, facit & Filius alia similia. sed: Quaecunq; Pater  
facit, hæc eadem & Filius facit similiter. Quæ ille, hæc &  
ipse. Mundum Pater; mundum Filius, mundum spiritus  
Sanctus. Si tres Dij, tres mundi. Si unus DEUS Pater &  
Filius & Spiritus Sanctus, unus mundus factus est à Patre, per  
Filium, in Spiritu Sancto. Iterum verba Hipponensis Epi-  
scopi introducuntur ex tractatu 20. in Johannem, qui  
vehementer urget Adverbium SIMILITER & pro-  
ducto exemplo Adverbij nervosum sensum aliquo mo-  
do illustrat. In homine duo sunt Animus & Lingua, ut ergo  
format verbum, verum non similiter. Ecce verbum quod  
fecit Animus meus, manet in me, quod fecit lingua mea per-  
cuso aere transiit, & non est. Non autem sic Pater & Filius;  
sed hac EADEM facit, & SIMILITER facit. Pater enim  
fecit per Filium quia per verbum fecit Pater omnia. Quare in  
Patre & Filio separationem non inveni.

Quartum Testimonium desumimus ex Dominicis  
verbis Joh. II, 25. Ego sum Resurrectio & vita. vide &  
Cap: 14, 6. Conjungatur & locus Act. 3. 15. ubi Petrus  
nostrum Servatorem nominat ἀρχὴν τῆς ζωῆς. No-  
minat se Christus in abstracto Resurrectionem, id est  
Resurrectionis Causam, originem, fontem, Autorem.

Quicunq; ita est Resurrectio, ut Universalis sit Re-  
surrectionis causa fons origo, is & suæ Resurrectionis  
causa erit. Servator noster ita est resurrectio ita ut &c.  
Ergo

Ergo. Nisi namq; in Christo originalis causa respectu  
sue Resurrectionis fuislet, quomodo & respectu sui  
vocari poterit Resurrectio?

Quintus locus est in Osea c. 13, 14. *Ero mors tua o-*  
*mors. ē invincibilis.* Messiae de morte, magnam habens ēμφα-  
σιν. Innuit enim Messias se in sua morte mortis futurum  
Dominum, destructorem, vindicem. In naturali ergo  
Christi morte quid divini latitabat, cuius vi mors absor-  
pta est in victoriam 1. Cor. 15, 54. Huc referantur &  
alia scripturæ loca: Christus destruxit vel abolevit mor-  
tem, & vitam *καὶ ἡ θάρσος την* in lucem produxit φωτίσαντος  
2. Tim. 1, 10. Christus per mortem abolevit eum penes  
quem est mortis robur, hec est, Diabolum. Ebr: 2, 14.  
Habeo claves inferorum & mortis, inquit Messias ad  
Johannem Apoc: 3, 18. Hinc Augustinus singularem  
illam nostri Servatoris mortem nominat *mortem vita.*  
Tractatu 12 ad caput 3. Johannis: *Quis est serpens exal-*  
*tatus?* Num. 21. *Mors Domini in Cruce.* Quia enim in Serpen-  
te mors, per serpentis effigiem figurata est mors: Morsus ser-  
pentum lethalis; Mors Domini vitalis. Attenditur serpens, ut  
nihil valeat serpens. *Quid est hoc? attenditur mors, ut nihil*  
*valeat mors.* Sed cuius Mors! Mors VITÆ, si dici potest  
Mors vita, immo quia dici potest, mirabiliter dicitur. Nonne  
Vita Christus? Et tamen in Cruce Christus. Sed in morte  
Christi mors mortuæ est, quia uasa mortuæ occidit mortem.  
Plexitudo vita deglutivit mortem, absorpta est mors in Christi  
corpo. Hac Hipponeñsis ille Episcopus eleganter &  
nervosè.

Sexto præsentem *δέ πόδε ταῦτα* firmat Apostolus Pau-  
lus, dum Christum ex morte redivivum vocat απερχόμε-  
ναν κεκαιρέων 1. Cors 15, 21, 23. αρχὴν πρωτότοκον εἰς τὸν  
πλεῖστον Col: 1, 18. πρῶτην εἰδανάστων μεγάλην Act. 26, 23.

Vocē ἀπαρχῆς Apostolus mutuatus est ex V. T. Primitiā Frugum quae ex Mosaicā Sanctiōne DEO offerebantur nominantur ἀπαρχαι Exod. 23,19. c:34,26. Levit:23,10. 17. Deut: 18, 4. C: 19, 24. c. 26. v. 2. 10. Prov: 3, 9. idq; ad usum sanctificationis & benedictionis residuae mas- sae. Quò referendus Apostolicus locus Rom: 11, 16. εἰ  
ἀπαρχὴ ἀγιανη τὸ φύεγον. Ut ergo in primitijs resecta- rum frugum, sanctificantur reliquæ fruges omnes, sic nostra mors & resurrectio in Dominicā morte & resur- rectione. Hinc de sua morte Servator noster hunc in modum loquitur. Pater sanctifico me pro eis Joh: 17, 19. Vox autem ἀπαρχῆς Metaphoricè ex divina Apostoli mente Dominicā Resurrectioni, attributa, altius quid intendit, in hac singulari Resurrectione causalem Re- surrectionis mortuorum latitare sanctificantem vim ; eamq; vivam, ex cuius originalis sanctitate vivifica vivifi- catio ad reliquos demortuos, qui Christi sunt dima- narit. En divinam VITAM in Dominicā morte lati- tantem !

Vocatur insuper ab Apostolo Sospitator noster ἀπόκτηνος πρωτότοκος εἰκ. τῶν τελεοῦ.

Aρχη, ob causalitatem. Principium enim & causa hic retro currunt in Schola Spiritus Sancti & saniore Phi- losophia. Quo respectu aeternus D.E.I. Filius ἀπόκτηνος πρωτότοκος vocatur, ἀπόκτηνος τοῦ Ιησοῦ Apo- calip. 3,14. dictam ob causalitatem. Omnia namque per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est Joh. 1, 3.

πρωτότοκος ob primatum & dominium in mortuos. Ut enim primogenitus Y. E. primatum in familijs ob- tinebant, jureq; regio & sacerdotali gaudebant Gen. 49, 3. Exod. 24, 5. Propterea & DEO consecrabantur

Exod.

Exod. 13, 5. Num. 3, 13 Ita Servator noster vi suæ resurrectionis factus est primogenitus ex mortuis, id est, mortuorum rex & Dominus, omnes mortuos sanctitate suæ mortis & resurrectionis sanctificans. Quod convenit cuim alijs Apostoli verbis Rom: 14, 9. *ad hoc Christus mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut & moriens & viventibus dominetur.* Quod dominium nullam aliam agnoscitoriginem, nisi eam, quod Christus propria virtute ex mortuis resurgens dominatum & super mortuos obtinuit, mortuisq; resurrectionis beneficium promeruit, quod nullo modo haberet, si alia virtute resurrexisset, inq; morte se passivè tantum habuisset. Hinc à Theophylacto ad Coll. 1. *principium resurrectionis*, appellatur, quippe qui præ cunctis resurrexit unoq; corpore resurgentे universa natura digna est Resurrectione judicata.

¶ *πρῶτος* præterea nominatur *in vī vespāvī*, ratione singularis præminentie. Nam & primus est ex mortuis, tum quia primus, imo & solus divinâ suâ virtute resurrexit ex morte, tum quia primus ad beatam immortalitatem resurrexit, & sequentes mortuos, qui in ipso mortui sunt, morientur & morientur ad eandem immortalē beatitatem vi suæ resurrectionis excitabit. Henoch quidem & Elias in beatam immortalitatem translati sunt Gen. 5, 24. 2. Reg: 2, II. Verum sine mortis interventu, alienâ præterea Virtute, divinâ scilicet. Et ante Christi quidem resurrectionem Prophetæ nonnullos ex mortuis resuscitarunt, Elias Sareptanæ filium I. Reg: 17, 22. Eliseus filium hospitæ 2. Reg: 4, 3. Cap: 8, 1, & eum qui in sepulchro ejus forte ossa contigerat c. 13, 21. & ipse Servator ante suam mortem mortuos nonnullos exsuscitavit Jairi filiam Matt. 9, 25. Vidiuæ Nainensis filium Luc. 7, 15. Lazarum Job. 10, 44. Ut & a Ios M<sup>l</sup>att.

Matt. 11, 5. nihilominus tamen Christus verè nō est  
īz̄ ērāgūt̄w̄ vēnq̄w̄ ob causam jam productam, & quod  
primus ad immortalitatem resurrexit, cum reliqui ad  
promovendam DEI gloriam ad hanc vitam alienā vir-  
tute miraculoſe suscitati sint. Legimus nonnullorum pre-  
cessisse resurrectiones, aut magis suscitations, sed istius pra-  
ambulas, quibus & dupli ci privilegio noscitur præminere.  
Nam cæteri quidem resurrexerant mortui, iterum morituri:  
Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ul-  
tra non dominabitur Rom. 6, 9. Illi mortui denuò opus ha-  
bent iterum resuscitari: Christus quod mortuus est, peccato  
mortuus est semel, quod autem vivit, vivit DEO v. 10. vivit  
in eternitate. Merito proinde resurgentium primitie Chri-  
stus, qui ita resurrexit, uscadere non adjiciat, qui solus attigit  
immortalitatem. Est & aliud in quo resurrectionis hujus in-  
notescat gloria singularis. Quis enim in cæteris omnibus susci-  
tavit aliquando semet ipsum? ineffabile istud est, ut à morte  
se excite et ipse qui dormit, singulare est, non est qui faciat, non  
est usq; ad unum. Eliseus Propheta mortuum suscitavit sed al-  
terum, non se ipsum. Ecce enim quam vis jacet in monumento,  
quod à se non potest sperans ab alio suscitari, ab eo utiq;, qui  
triumphavit mortis imperium in se ipso. Inde est quod cæteros  
quidem dicimus suscitatos, Christum verò resurrexisse qui so-  
lus virtute propriâ victor prodigie sepulchro. Siquidem & in  
hoc vocatur Leode tribu Iuda Apoc. 5,5. Verba sunt Bern-  
hardi sermone primo in die S. Paschæ.

Septimè præsentem nostram intentionem robora-  
mus ex Apostolico loco Rom. 1,4. in quo asserit JF. sum  
Christum non modò ut Davidis Filium, namē oīoīga ve-  
rum & ut DEI filium declaratum vel manifestarū esse im-  
potentia secundum spiritū sanctificationis īz̄ ērāgūt̄w̄ vēnq̄w̄  
Qua verbabre yiter explicanda sunt. I. Participiū oīoīga  
Vulga-

Vulgatus verit, praedestinationis, minus commode. Aliud  
enim est *οὐτε* aliud *προφέτης*, *επαγγελτι* vi vocis & A-  
postolicæ intentionis notat definitum, vel potius declar-  
atum & manifestatum. Ut enim *οὗτος* vel definitio decla-  
rat naturam rei, sic resurrectio Christi à mortuis decla-  
ravit latitante m ejus divinitatem. Propterea Petrus  
usus est participio *καταδεικνύει* Act. 2,22. Tertullianus  
contra Præcam declaratus. Chrysostomus eleganter,  
*ἀπόφευξις* *δείχνει* *δημοστράτος*, *manifestat*? Syrus notificatus vel  
agnitus. Lutherus Erweiset. Id enim Apostolus inten-  
dit, Christum ut DEI Filium in tempore evidente ali-  
gno singulari & manifesto signo, Apostolis & mundo  
revelatum, declaratum & manifestatum esse. 2. Locu-  
tionem *ἐν δύναμι* alij adverbialiter exponunt potenier  
fräufiglich. Nonnulli ellipticam volunt esse locutio-  
nem, quæ sit, *ἐπειδή τὸν θεόν* *Ιησούν* *ἐν δύναμι* Filius  
DEI in potentia scil: existens, hoc est, potens, habens  
potentiam verè divinam, & ita verè omnipotens. Alij  
per *δύναμιν* intelligunt varia miracula à Christo patra-  
ta, quæ manifesta suæ divinitatis fuerunt argumenta.  
*ἴαντα προφῆτα γνωσθεῖν*. Nonnulli referunt ad Christi  
divinitatem. Alij commodius ad visibilem Spiritus  
Sancti super Apostolos effusionem, factam in prima Pen-  
tecoste N.T. Act. 2.

Hunc spiritum 'Sanctificationis spiritum Paulus  
hebræa phrasí nominat, pro eo quod Latini S. S. San-  
ctificantem dicunt ob donum sanctificans, de quo in  
tertio articulo. Declaratus ergo & mundo manifestatus  
est Iesus Christus ut DEI Filius 1. in potentibus & verè  
divinis miraculis tempore sui *πληπούματος* patratis. 2.  
in Visibili sanctificantis spiritus super Apostolos effusio-  
ne 3. subicit Apostolus tertium documentum demon-  
strationis, vel manifestationis, divinitatis Filij DEI

*προφῆτης εὐαγγελιστής*

Excellētissimum declarationis me-  
dium. Verē per resurrectionem mundo Messias ut DEI  
Filius manifestatus est, ob singularem illam causam, cum  
proptiā virtute animam quam volens deposuerat in  
morte, receperit. Fuit ergo in Christi morte vivifica di-  
vinitas in mortuā carnē personaliter latitans. Hoc sen-  
suīdem Apostolus in suā concione Antiochiz in Pisidiā  
habitā testatur, per Resurrectionem Christiā mortuis  
impletas esse promissiones de Filio suo, eoq̄ refert locū  
Psal. 2, 7. *Filius meus es tu, ego hodiē genui te, quasi dicat, per*  
*Resurrectionem Christi fuisse declaratum, psum ab aet-*  
*no fuisse genitum DEI Filium Act. 13, 33. Insulsi ergo*  
*Photiniani, sīgenies, imō blasphemantes Dominicam*  
*resurrectionem causam esse, per quam Christus Filius*  
*primum DEI factus sit. Apage cum hac impietate! avā.*  
*scoris ēn venq̄v causam quidem reddit illius potenteris de-*  
*clarationis & manifestationis Filij DEI, non verò ipsius*  
*Appellationis. Resurrectionam q̄ declarat, quod in Chri-*  
*sto jam antea plenē fuit. Non inquit Apostolus, Christus*  
*Filij DEI nomen accepit ex resurrectione, sed potenter*  
*declaratus & manifestatus est DEI Filius ex resurrec-*  
*tionē à mortuis, ob causam jam jam commemoratam. Ut*  
*ergo fumus non dat igni nomen: ita nec resurrectionis*  
*Christi Filij DEI nomen dedit. Et ut ex fumo, ut effe-*  
*ctu certissimum sumo τεμηγιον ignem adesse, pari mo-*  
*do ex Dominicā resurrectione ut ex effectu colligimus*  
*Christum antea suam Resurrectionem verum & natura-*  
*em DEI Filium fuisse, cum propriā virtute sibi cum Pa-*  
*tre essentia literē communī mortis claustra perruperit,*  
*nq̄ immortalem vitam ingressus sit. Et ubi legerunt*  
*Photiniani, Christum DEI Filium in tempore demum*  
*Factum? In scriptis Arij & Photini, non spiritus sancti.*  
*Essent & alia ex sacris literis depromenda argumen-*  
*ta, hoc ipsum Thēma ad nostrā fidei confirmationē ro-*  
*borantia. verū habitā ratione Intimationis ea suo loco*  
*reservamus.*